384

Feria v. Die 12. Septembris 1675.

IN Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis apud Sanctam Mariam Maiorem coram Sanctiſsimo D. N. D. Clemente Diuina Prouidentia Papa X., ac Eminentiſsimis, & Reuerendiſsimis DD. S. R. E. Cardinalibus in Vniuerſa Republica Chriſtiana contra hæreticam prauitatem Inquiſitoribus Generalibus à S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

SAnctiſsimus D. N. CLEMENS Papa X. præſenti Decreto prohibet, & damnat Librum, cui Titulus eſt. *Aduerſus quorumdam Expoſtulationes contra nonnullos Ieſuitarum opiniones morales, Auctore Amadæo Guimenio, olim Primario Sacræ Theologiæ Profeſſore, Opuſculum ſingularia vniuerſæ ferè Theologiæ moralis complectens cum Indice locupletiſsimo &c.* Eumque pro damnato, & prohibito haberi vult vbicumque fuerit impreſſus, vel fortè etiam imprimetur. Mandat propterea Sanctitas Sua, vt nemo cuiuſcumque gradus, & conditionis exiſtat, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignus, prædictum librum apud ſe retineat, aut legat, vel imprimere, aut imprimi curare audeat, ſub pœnis, & cenſuris, in Sacro Concilio Tridentino, & in Indice librorum prohibitorum contentis, alijſque arbitrio Sanctitatis Suæ infligendis; Sed quicumque illum habet, vel in futurum quandocumque habebit, ſtatim eumdem locorum Ordinarijs, ſeú Inquiſitoribus ſub ijſdem pœnis exhibere, & conſignare teneatur.

Loco ✝ ſigilli.

Franciſcus Riccardus Sanctæ Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis Not.

Die ſecunda menſis Octobris 1675. ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad Valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, ac alijs locis ſolitis, & conſuetis Vrbis per me Franciſcum Perinum S. D. N. Papæ, & Sanctiſſimæ Inquiſitionis Curſorem.

Prohibición del libro de Amadeo Guimenio

prohibicion de Amadeo Guimenio